

eps ex felle iuncta oleo, magisque si verus est: sal nitrum, git, piper, quinq; folium, ferèq; quæ vehementer & reprimunt, & refrigerant. Durant, quæ calefaciunt, & digerunt, & emolliunt. Præcipueque ad emolliendum potest cataplasma ex lini, vel fœni græci semine. His autem omnibus & simplicibus, & permixtis varie medici vtuntur, vt magis quid quisque persuaferit sibi appareat, quàm quid euidenter compererit.

LIBER TERTIVS.

De morborum generibus.

CAP. I.



Rouisis omnibus, quæ pertinent ad vniuersa genera morborum, ad singulorū curationes veniam. Hos autem in duas species Græci diuiserunt: aliosq; ex his acutos, alios longos esse dixerunt. Idq; quoniam non semper eodem modo respondebant: eisdem alij

inter acutos, alij inter longos retulerunt. Ex quo plura eorum genera esse manifestum est. Quidam enim breues vtrique sunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur. Quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est. Tertiumque genus eorum est, qui modo acuti, modo longi sunt. Idque non in febribus tantummodo, in quibus frequentissimum est: sed in aliis quoque fit. Atque etiam præter hos quartum est, quod neque acutum dici potest, quia non perimit: neque vtriq; longum, quia si occurritur, facile sanatur. Ego cum de singulis dicam, qui cuiusq; generis sit indicabo. diuidam autem omnes in eos, qui in totis corpo-

F iij

ribus consistere videntur, & eos qui oriuntur in partibus. incipiam à prioribus pauca præfatus de omnibus. In nullo quidē morbo minus fortuna sibi vindicare, quā ars potest, vt pote cū repugnante fortuna nihil medicina proficiat, magis tamē ignoscendū medico est parum proficiēti in acutis morbis, quā in longis. Hic enim breue spatiū est, intra quod si quod auxilium non profuit, æger extinguitur. ibi & deliberationi, & mutationi remediorum tempus patet, adeo vt raro, si inter initia medicus accessit, obseques æger sine illius vitio pereat. Longus tamen morbus cum penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par est, & acutus quidem quo vetustior est, longus autem quo recentior, eo facilius curatur. Alterū illud ignorari non oportet, quod non omnibus egris eadem auxilia cōueniunt. ex quo incidit, vt alia, atq; alia summi authores quasi sola vēdicarint, prout cuique cesserant. Oportet itaq; vbi aliquid non respondit, non tanti putare authorē, quanti egrum, & experiri aliud, atq; aliud, sic tamen, vt in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodest. in longis, quos tempus vt facit, sic etiā soluit, non statim condemnatur, si quid nō statim profuit. minus vero remoueatur, si quid paulū saltē iuuat, quia profectus tēpore explet.

Quomodo morbi cognoscantur, & an increcant, an consistant, an minuantur, & qua ratione ab initio qui languere incipit, curari debeat.

CAP. II.

PRotinus autem inter initia scire facile est, quis acutus morbus, quis longus sit, nō in his solis, in quibus semper ita se habet, sed in his quoq; in quibus variat. Nam vbi sine intermissionibus accessiones, & dolores graues vrgent, acutus morbus est. Vbi lenti dolores, lenteve febres sunt, & spacia inter

accessiones porriguntur, acceduntq; ea signa, quæ in
priori volumine exposita sunt, longum hunc futurū
esse manifestum est. Videndum etiam est morbus an
increscat, an consistat, an minuatur, quia quædam re-
media increfcentibus morbis, plura inclinātibz cō-
ueniunt. eaq; , quæ decrefcentibus apta sunt, vbi acu-
tus increfcentis vrget, in remissionibus potius expe-
rienda sunt. Increfcenti autem morbus dum grauiores
dolores, accessionesq; veniunt, hæq; & antequā pro-
xime reuertuntur, & postea desinunt. Atq; in longis
quoq; morbis etiam tales notas nō habentibus, scire
licet increfcentem, si somnus incertus est, si deterior cō-
coctio, si se diiores deiectiones, si tardior sensus, si pi-
grior mens, si pcurrit corpus frigus, aut calor, si idē
magis pallet. ea vero quę contraria his sunt, decedē-
tis eius notę sunt. Preter hæc in acutis morbis seri-
us æger alēdus est, nec nisi iam inclinatis, vt primo dē-
pta materia, impetum frangat. in longis maturius, vt
sustinere spatium aduenturi mali possit. Ac si quādo
is non in toto corpore, sed in parte est, magis tamen
ad rem p̄tinet vim totius corporis molliri, quā pro-
prie partes egrē sanētur. Multū etiam interest ab ini-
tio, quis recte curatus sit, an perperā. quia curatio mi-
nus his prodest: in quibus assidue frustra fuit. si quis
remere habitus adhuc integris viribus viuit, admota
curatione momento restituit. Sed cū ab his cēperim,
quę notas quasdā futurę aduersę valetudinis exhi-
bent, curationū quoq; principiū ab animaduersione
eiusdē temporis faciā. igitur si quid ex his, quæ pro-
posita sunt incidit, omniū optima sunt quies, & absti-
nentia. Si quid bibendū, aqua. idq; interdū vno die fie-
ri satis est. Interdū si terrentia manent, biduo, proxi-
męq; abstinentiam sumendus est cibus exiguus, bi-
benda aqua, postera die etiam vinum. deinde inui-
cem alterius diebus, modo aqua, modo vinum, donec
omnis causę metus finiatur. Per hæc enim sepe in-

COR. CELSI

stans grauis morbus discutitur: plurimiq; falluntur, dum se primo die protinus sublaturus languorē aut exercitatione, aut balneo, aut coacta deiectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant. non quo non interdum id incidat, aut non decipiat: sed quo sepius fallat, solaq; abstinentia sine vlllo periculo medeatur. cum præsertim etiam pro modo terroris moderari liceat, & si leuiora inditia fuerint: satis sit à vino tantum abstinere, quod subtractum plusquā, si cibo quid dematur, adiuuat. si paulo grauiora satis sit non aquam tantum bibere, sed etiam cibo carnem subtrahere. interdum panis quoque minus, quā pro consuetudine assumere. humidoque cibo esse contentum, & olere potissimum, satisque sit, tū ex toto à cibo, à vino, ab omni motu corporis abstinere, cum vehementer notæ terruerunt. Neq; dubiū est, quin vix quisquam, qui non dissimulauit, sed per hæc mature morbo occurrit, ægrotet.

De febrium generibus. CAP. III.

ATque hæc quidem sanis facienda sunt tantum causam metuentibus. sequitur vero curatio febrium, quod & in toto corpore, & vulgare maxime morbi genus est. Ex his vna cotidiana, altera tertiana, altera quartana est. Interdum etiam longiore circuitu quædam redeunt. Sed id raro euenit. In prioribus & morbi sunt, & medicinæ. At quartanæ quidem simpliciores sunt: incipiunt ferè ab horrore, deinde calor erumpit, finitaque febre biduū integrū est, ita quarto die reuertitur. Tertianarum vero duo genera sunt, alterū eodem modo, quo quartana & incipiēs, & desinens, illo tantū interposito discrimine, q̄ vnum diē præstat integrum, tertio redit. Alterum longe perniciosius, quod tertio quidē die reuertit, ex octo autē, & quadraginta horis

ferè, sex, & triginta per accessionem occupat, interdum etiam vel minus, vel plus, neque ex toto in remissione desistit, sed tantum leuius est. id genus plerique medici *ἡμεριτᾶν* appellant. cotidiana verò varia sunt, & multiplices. Alia enim protinus à calore incipiunt, alia à frigore, alię ab horrore. Frigus voco vbi extremę partes membrorum inalgescunt, horrorem vbi totum corpus intremit. Rursus alia sic desinunt, vt ex toto sequatur integritas, alia sic, vt aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quędam reliquię remaneant, donec altera accessio accedat, ac sæpe alia vix quicquam, aut nihil remittant, sed ita vt continuent. Deinde alia feruorem ingentem habent, alia tollerabilem, alia cotidie pares fiunt, alia impares. atque inuicem altero die leniores, altero vehementiores, alia tempore eodem postridie reuertuntur, alia vel serius, vel celerius, alia diem, noctemque accessionem, & decessionem implent, alia minus, alia plus, alia cum decedunt sudorem mouent, alia non mouent. atque alias per sudorem ad integritatem venit, alias corpus tantum imbecillius redditur. Accessiones etiam modo singula singulis diebus fiunt, modo binę, pluresve concurrunt. ex quo sæpe euenit vt cotidie plures accessiones, remissionesque sint, sic tamen vt vna quęque alicui priori respondeat. Interdum vero accessiones quoque confunduntur sic, vt neque notari tempora earum, neque spacia possint. Neque verum est, quod dicitur à quibusdam, nullam febrem inordinatam esse, nisi aut ex vomica, aut ex inflammatione, aut ex vlcere. facilius enim semper curatio foret, si hoc verum esset. Sed quod euidentius causę faciunt, facere etiam abditę possunt. neque de re, sed de verbo controuersiam mouent. qui cum aliter, aliterque in eodem morbo febres accedant, non easdem inordinate redire, sed alias, aliasque sub-

inde oriri dicunt. quod tamen ad curandi rationem nihil pertineret, etiam si vere diceretur. Tempora quoque remissionum modo liberalia, modo vix vltra sunt.

De curationum diuersis generibus, CAP. IIII.

ET febrium quidem ratio maxime talis est. Curationum vero diuersa genera sunt, prout aucthores aliqui habent. Asclepiades officium esse medici dicit, vt tuto, vt celeriter, vt iocunde curet. id notum est, sed ferè periculosa esse nimium & festinatio, & voluptas solet. qua vero moderatione vtendum sit, vt quantum fieri potest, omnia ista contingant, prima semper habita salute in ipsis partibus curationum considerandum erit. & ante omnia quaeritur, primis diebus æger qua ratione continendus sit. Antiqui medicamentis quibusdam datis, cōcoctio nem moliebantur, eo quod cruditatem maxime horrebant, deinde eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo sæpius aluum subtrahebant. Asclepiades medicamenta sustulit, aluum non toties, sed ferè tamen in omni morbo subduxit. febre vero ipsa præcipue se ad eius remediū vti professus est. Conuellendas enim vires ægri putauit, luce, vigilia, siti ingenti, sic, vt ne os quidem primis diebus elui sineret. Quo magis falluntur qui per omnia iocundam eius disciplinam esse contēdunt, & is enim vltioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit, primis vero tortoris vicem exhibuit. Ego autem medicamentorum dari potiones, & aluum duci non nisi raro debere concedo. & id non ideo tamen agendum, vt ægri vires conuellantur existimo, quoniam ex imbecillitate summum periculum est. minui ergo tantum materiam superantē oportet, quæ naturaliter detrahatur, vbi nihil noui accedit. Itaq; abstinēdus à cibo primis

diebus est, in luce habendus æger, nisi infirmus inter diu est. quoniam corpus ista quoq; digerit, isq; cubare quàm maximo conclauì debet. Quod ad sitim vero, somnumque pertinet, moderandum est, vt interdiu vigilet, noctu, si potest, conquiescat. ac neque potest, neq; nimium siti crucietur. Os etiam eius elui potest, vbi & siccum est, & ipsi fœtet, quanuis id tempus aptum potioni non est. Commodeque Erasistratus dixit sæpe inferiore parte humorem non requirere, os, & fauces requirere, neque ad rem male haberi ægrum pertinere. Ac primo quidem sic tenendus est. Optimum vero medicamentum est, opportune cibus datus, qui quando primum dari debeat, queritur. Pleriq; ex antiquis tarde dabant, sæpe quinto die, sæpe sexto. & id fortasse vel in Asia, vel in Aegypto cœli ratio patitur. Asclepiades vbi ægrum triduo per omnia fatigarat, quarto die cibo destinabat. At Themison nuper non quando cœpisset febris, sed quando desisset, aut certe leuata esset, considerabat, & ab illo tempore expectato die tertio, si non accesserat febris, statim, si accesserat, vbi ea vel desierat, vel si assidue inhærebat, si certe se inclinauerat, cibum dabat. Nihil autem horum vtriq; perpetuum est. Nam potest primo die primus cibus dandus esse, potest secundo, potest tertio, potest non nisi quarto, aut quinto, potest post vnâ accessionem, potest pos duas, potest post plures. Refert enim qualis morbus sit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni minimeq; in rebus multum inter se differētibus quod intermittendum non est. perpetuum esse præceptum temporis potest. In morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est. Itemque eo cœlo, quo magis digerit. Ob quam causam in Africa nullo die æger abstineri recte viderur. Maturius etiâ puero, quàm iuueni, ætate, quàm hyeme dari debet. Vnum illud est, quod semper vbique seruandum est,



COR. CELSI

vt ægri vires subinde affidens medicus inspiciat, & quandiu supererunt, abſtinentia pugnet, ſi imbecillitatem vereri cōperit, cibo ſubueniat. Id enim eius officium eſt, vt ægrum neque ſuperuacua materia oneret, neque imbecillitatem fami prodat. Idq; apud Eraſiſtratum quoque inuenio, qui quanuis parum docuit quando venter, quando corpus ipſum exinaniretur, dicendo tamen hæc eſſe viſenda, & tum cibum dandum, cum corpori deberetur, ſatis oſtendit dum vires ſuper-eſſent, dari non oportere, ne deficerent, conſulendum eſſe. Ex his autem intelligi poteſt ab vno medico multos non poſſe curari, eumq; ſi artiſex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab ægro recedit, ſed qui quæſtui ſeruiunt, quoniam is maior ex populo eſt, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ ſedulitatem non exigunt, vt in hac ipſa re. Facile eſt enim dies, vel acceſſiones numerare his quoque, qui ægrum raro vident. ille affideat neceſſe eſt, qui, quod ſolum opus eſt, viſurus eſt, quando nimis imbecillus futurus ſit, niſi cibum acceperit. In pluribus tamen ad initium cibi dies quartus aptiſſimus eſſe conſueuit. Eſt autem alia etiam de diebus ipſis dubitatio, quoniam antiqui poſitiſſimum impares ſequebantur, eosq; tanquam tunc de ægris iudicaretur, κρισιμῶν nominabant. Hi erant dies tertius, quintus, ſeptimus, nonns, undecimus, quartusdecimus, unus & vig-eſimus ita vt ſumma potentia ſeptimo, deinde quartodecimo, deinde vni & vig-eſimo daretur. Igitur ſic ægros nutriebāt, vt dierū imparium acceſſiones expectarēt. deinde poſtea cibū quaſi leuioribus acceſſionibus inſtātibus darent, adeo vt Hippocrates ſi alio die febris deſiſſet, recidiuum timere ſit ſolitus. Id Aſclepiades iure vt vanum repudiauit. neque in vlllo die quia par, imparve eſſet, his vel maius, vel minus periculum eſſe dixit. Interdum enim peiores dies pares fiunt, & oportunius

post eorum accessiones cibus datur. Nonnunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fitq; grauior, qui remissior esse consueuerat, atque ipse quartusdecimus par est, in quo esse magnam vim antiqui fatebantur. Qui cum octauum primi naturam habere contenderent, vt ab eo secundus septenarius numerus inciperet, ipsi sibi repugnabant non octauum, neque decimum, neque duodecimum diem sumendum, quasi potentiores. Plus enim tribuebant nono, & vndecimo. Quod cum fecissent sine vlla probabili ratione, ab vndecimo non ad tertium decimum, sed ad quartumdecimum transibant. Est et apud Hippocratem ei, quem septimus dies liberaturus sit, quartum esse grauissimum. Ita illo quoque auctore in die pari & grauior febris esse potest, & certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quaque diem, vt in vtrunque efficacissimum apprehendit, idest quartum, septimum, vndecimum, quartumdecimum, decimum septimum, in quo & ab impari ad paris rationem transit. & ne hoc quidem propositum conseruauit, cum a septimo die vndecimus non quartus, sed quintus sit. adeo apparet quacunque ratione ad numerum respeximus, nihil rationis sub illo quidem auctore reperiri. Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum pythagorici numeri fefellerunt, cum hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri, & ex his coniectare quando dandus cibus sit. Illud autem magis ad rem pertinet scire, num oporteat dari cum iam bene uenæ conquieuerunt, aut etiam nū manentibus reliquiis febris. Antiqui enim quam integerrimis corporibus alimentum offerebant. Asclepiades inclinata quidem febre, sed adhuc tamen inhærente, in quo vnam rationem secutus est, non quo non sit interdum maturius cibus dandus, si mature timeatur altera accessio, sed quo scilicet quam

C O R. C E L S I

sanissimo dari debeat. Minus enim corrumpitur, quod integro corpori infertur. Neque tamen verum est, quod Themisoni videbatur, si duabus horis integer futurus esset æger, satius esse tunc dare, vt ab integro corpore potissimum diduceretur. Nam si diduci tam celeriter posset, id esset optimum. Sed cum hoc breue tempus non præstet, satius esse principia cibi à decedente febre, quàm reliquias ab incipiente excipi. ita si longius tempus secundum est, quàm integerrimo dandus est, si breue, etiam antequam ex toto integer fiat. Quo loco vero integritas est, eodem est remissio, si qua maxime in febre continua potest esse. Atque hic quoque quæritur vtrum tot horæ expectandæ sint, quot febrem habuerunt, an satis sit primam partem earum præteriri, vt ægris iocundius insidat, quibus interdum non vacat. Tutissimum est autem ante totius accessionis tempus præterire. quanuis vbi longa febris fuit, potest indulgeri ægro maturius, dum tamen ante minime pars dimidia prætereatur. Idque non in ea sola febre, de qua proxime dictum est, sed in omnibus ita seruandum est.

De febrium speciebus, & singularum curationibus, & primo quando cibus febricitantibus dandus sit.

C A P. V.

HAec magis per omnia genera febrium perpetua sunt, nunc ad singulas earum species descendam. Igitur si semel tantum accessit, deinde desit, eaque vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex æstu, aliave simili re fuit sic, ut interior nulla causa metum fecerit, postero die cum tempus accessionis ita transiit, vt nihil mouerit, cibus dari potest. At si ex alto calor venit, & grauias vel capitis, vel

præcordiorū secuta est, neq; apparet quid corpus cō-
fuderit, quanuis vnā accessionem secuta integritas
est, tamen quia tertiana timeri potest, expectāndus est
dies tertius, & vbi accessionis tēpus præterit, cibus
dandus est, sed exiguus, quia quartana quoq; timeri
potest. Et die quarto demum, si corpus integrum est,
eo cum fiducia vtendū. Si vero postero, tertiove, aut
quarto die secuta febris est, scire licet morbum esse.
Sed tertianarum, quartanarumq; quarū & certus cir-
cuitus est, & finis integer, & quia liberaliter quiesca-
tempora sunt, expeditior ratio est. De quibus suo lo-
co dicam. Nunc vero eas explicabo, quæ cotidie ur-
gent. Igitur tertio quoque die cibus ægro commo-
disime datur, vt alter febrem minuat, alter viribus
subueniat. Sed his dari debet si quotidiana febris est,
quæ ex toto desinat, simul atque corpus integrum fa-
ctum est, si quanuis nō accessionis, febres tamen iun-
guntur, & cotidie quidem increscūt, sed sine integri-
tate tamen remittunt, cum corpus ita se habet, ut ma-
ior remissio non expectetur. Si altero die grauior, al-
tero leuior accessio est post grauiorē. fere vero gra-
uiorem accessionem leuior nox sequitur. quo fit vt
grauiore accessionē nox quoq; tristior antecedit.
At si continuatur febris, neq; leuior vnquam fit, &
dari cibum necesse est. quādo dari debeat, magna qui-
dem dissensio est. Quidam, quia fere remissius matu-
tinum tempus ægris est, tunc putant dandum, quod si
respondet, non quia mane est, sed quia remissio est
ægris, dari debet. Si vero ne tunc quidem vlla requies
ægris est, hoc ipso peius id tempus est, quod cū sua
natura melius esse debeat, morbi vitio non est. simul-
que insequitur tempus meridianum, à quo cū omnis
æger ferē peior fiat, timeri potest ne ille magis etiā
quā ex consuetudine urgeatur. Igitur alii vespere
tali ægro cibum dant. Sed cum eo tempore ferē
pessimi sint, qui egrotant, verendum est, ne si quid

COR. CELSI

tunc mouerimus, fiat aliquid asperius. Ob hæc ad mediam noctem decurro, idest finito iam grauissimo tempore, eodemq; longissime distante, secuturis vero antelucanis horis, quibus omnes ferè maxime dormiunt, deinde matutino tempore, quod natura sua leuissimum est. Si vero febres vagæ sunt, quia verendum est, ne cibum statim subsequantur, quandoque quis ex accessione leuatus est, hunc debet assumere. At si plures accessiones eodem die veniunt, considerare oportet, pares ne per omnia sint, quod vix fieri potest, an impares. Si per omnia pares sunt, post eam potius accessione cibum dari debet, quæ non inter meridiem, & vespere definit. Si impares sunt, considerandum est quo distent. Nam si altera grauior, altera leuior est, post grauiorem dari debet. si altera longior, altera breuior, post longiorem, si altera grauior, altera longior est, considerandum est vtra magis affligat, illa vi, an hæc tempore, & post eam dandus est. Sed planè plurimum interest, quantæ, qualesque inter eas remissiones sint. Nam si post alteram febrem motio manet, post alteram integrum corpus est, integro corpore cibo tempus aptius est. Si semper febricula manet, sed alterum tamen longius tempus remissionis est, id potius eligendum est, adeo vt vbi accessiones continuantur, protinus inclinata priore dandus cibum sit. Et enim perpetuum est, ad quod omne consilium dirigi potest, cibum quam maxime semper ab accessione futura reducere, & hoc saluo dare quâ integerrimo corpori. quod non inter duas tantum, sed etiam inter plures accessiones seruabitur. Sed cum sit aptissimum tertio quoq; die cibum dare: tamen si corpus infirmum est, cotidie dandus est, multoq; magis si continentes febres sine remissione sunt, quanto magis corpus affligunt, aut si duæ, pluresve accessiones eodem die veniunt, Quæ res efficit, vt

& i

& à primo die protinus cibus dari cotidie debeat, si protinus venæ conciderunt, & sæpius eodem die, si inter plures accessiones subinde vis corpori deest. Illud tamen in his seruandum est, vt post eas febres minus cibi detur, post quas, si per corpus liceret, omnino non daretur. Cum vero febris instet, incipiat, augeatur, consistat, decedat, deinde in decessione consistat, aut finiatur, scire licet optimum cibo tempus esse febre finita. deinde cum decessio eius consistit. tertium si necesse est, quandocunq; decedit, cætera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem necessitas vrget, satius esse consiliente iam incremento febris aliquid offerre, quàm crescente. Satius esse instante, quàm incipiente, cum eo tamen vt nullo tempore is qui deficit, non sit sustinendus. Neq; Hercule satis est ipsas tantum febres medicum intueri, sed etiam totius corporis habitum, & ad eum dirigere curationem, seu supersunt vires, seu desunt, seu quidam mali affectus interueniunt. Cum vero semper ægros securos agere conueniat, vt corpore tantum, non etiam animo laborent, tum præcipue vbi cibum sumperunt. Itaque si qua sunt quæ ex asperatura eorum animos sunt, optimum est eadem ægrotantium noticiæ subtrahere. si id fieri non potest, sustinere tamen post cibum vsque somni tempus, & cum experrecti sunt, tunc exponere.

Quando potiones febricitantibus dari expedit. CAP. VI.

Sed de cibo facilius quidem cum ægris ratio est, quorum sæpe stomachus hunc respuit, etiam si mens concupiscit. De potione vero ingens pugna est, eoq; magis, quo maior febris est. Hæc enim fitim accendit, & tum maxime aquam exigit, cum illa periculosissima est. Sed docendus æger est vbi fe-

G

bris conquiuerit, protinus sitim quoq; quieturam, longioreniq; accessionem fore, si quod ei datum fuerit alimētum, ita celerius eum desinere sitire, qui nō bibit. Necessē est tamen quanto facilius etiam sani famen, quā sitim sustinent, tanto magis ægris in potione, quā in cibo indulgere. Sed primo quidem die nullus humordari debet, nisi subito sic venæ ciderunt, ut eibus quoq; dari debeat. Secundo vero, cæterisq; etiam quibus eibus non dabitur, tamen si magna sitis, urgebit, potio dari potest. Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum ratione caret, ubi aut bilis ægrum, aut cruditas male habet, expedire quoq; per medicas potiones misceri nouam materiam corruptā. Illud videndum est, ut qualia tempora cibo leguntur, talia potioni quoque, ubi sine vllō datur, deligatur, aut cum ægrum dormire cupiemus, quod ferē sitis prohibet. Satis autem conuenit, cum omnibus febricitantibus nimius humor alienus sit, tū præcipue esse feminis, quæ ex partu in febres inciderunt. Sed cum tempora cibo, potioniq; febris & remissionis ratio det, non est expeditissimum scire, quando æger febricitet, quando melior sit, quādo deficiat, sine quibus dispensari illa non possunt. Venis enim maxime credimus fallacissimæ rei, quia sæpe istæ leniores, celerioresve sunt & ætate, & sexu, & corporum natura. Et plerūq; satis sano corpore si stomachus infirmus est, nonnunquam etiam incipiente febre subeunt, & quiescunt, ut imbecillus is videri possit, cui facile laturo grauis instat accessio. Cōtra sæpe eas concitat, & resoluit sol, balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeo ut cum primum medicus venit, sollicitudo ægri iubitantis quomodo ille se habere videatur, eas moueat. ob quam causam periti medici est, nō protinus ut venit apprehendere manu brachium. sed primum residere hilari vultu, percontariq; quemadmo-

dū se habeat, & si quis eius metus est, eum probabi-
li sermone lenire. tum deinde eius corpori manum
admoovere. quas venas autem conspectus medici mo-
uet, quā facile mille res turbant. Altera res est, cui
credimus calor æque fallax. nam hic quoq; excitatur
æstu, labore, somno, metu, sollicitudine. Igitur intue-
ri quidem omnia etiam ista oportet. sed his non om-
nia credere, ac protinus quidem scire non febricitan-
te eum, cuius venæ naturaliter ordinatæ sunt, teporq;
talis est, qualis esse sani solet. Non protinus autem
sub calore, motuque febrem sese concipere sed ita si
summa quoque arida inæqualiter cutis est, si calor
& in fronte est, & ex imis præcordiis oritur. si spiri-
tus ex naribus cum feruore prorumpit, si color aut
rubore, aut pallore nouo mutatus est, si oculi gra-
ues, & aut perfici, aut sub humidi sunt, si sudor cum
fit, inæqualis est, si venæ non equis interuallis mouē-
tur. Obquā causam medicus neq; in tenebris, neq;
a capite ægri debet residere, sed illustri loco aduer-
sus eum, vt omne is notas ex vultu quoque cubantis
perspiciat. Vbi vero febris fuit, atq; decreuit, expe-
ctari oportet nūm tempora, partesve corporis aliæ
paulum madescant, quæ sudorem venturum esse te-
stentur. ac si qua nota est, tunc demum dare potui cali-
dam aquam, cuius salubris effectus est, si sudorē per
omnia membra diffundit. Huius autem rei causa con-
tinere æger sub veste satis multa manus debet, ea-
demq; crura, pedesq; contegere, qua male plerique
ægros in ipso impetu febris, pessimeq; vbi ardens ea
est, male habent. Si sudare corpus cepit, linteum te-
pefacere oportet, paulatimq; singula membra deter-
gere. At vbi sudor omnis finitus est, aut si is non ve-
nit, vbi quā maxime potuit, idoneus esse cibo eger
videtur, sub veste leniter vngendus est, tum detergen-
dus, deinde ei cibus dandus. Cibus autem febricitan-
tibus humidus est aptissimus, aut humori certe quā

COR. CELSI

proximus, utiq; ex materia quàm leuissima, maxi-
meque sorbitio, eaque, si magnæ febres fuerunt,
quàm tenuissima esse debet. Mel quoque despu-
matum huic recte adijcitur, quo corpus magis nu-
triatum, sed id, si stomachum offendit, superuacuum
est, sicut ipsa quoque sorbitio. Dari vero in vicem
eius potest, vel intrita ex aqua calida, vel alica elo-
ra. Si firmus est stomachus, & compressa aluus, ex
aqua mulsa si vel ille languet, vel hæc profluit, ex
posca. Et primo quidem cibo id satis est. secundo
vero aliquid adijci potest, ex eodem tamen genere
materie, vel olus, vel conchylium, vel pomum. Et
dum febres quidem increscunt, hic solus idoneus
cibus est. Vbi vero aut desinunt, aut leuantur, sem-
per quidem incipiendum est ab aliquo ex materia le-
uissima, adiciendum vero aliquid ex media, ratio-
ne habita subinde & virium hominis, & morbi. Po-
nendi vero ægro varij cibi sicut Asclepiades præce-
pit, tum demum sunt, vbi fastidio vrgetur, neque sa-
tis vires sufficiunt, vt paulum ex singulis degustando
famem vitet. At si neque vis, neque cupiditas deest,
nulla varietate sollicitandus æger est, ne plus assu-
mat, quàm concoquat. Neque verum est, quod ab
eo dicitur, facilius concoqui cibos varios, eduntur
enim facilius, ad concoctionem autem materię ge-
nus, & modus pertinent. Neque inter magnos dolo-
res, vt neque increscente morbo tutum est ægrum
cibo impleri, sed vbi inclinata iam in melius valetu-
do est. Sunt alix quoque obseruationes in feбри-
bus necessariae, atque id quoque videndum est, quod
quidam solum præcipiunt, an astrictum corpus sit,
an profluat, quorum alterum strangulat quod con-
tinet, alterum digerit. nam si astrictum est, ducenda
aluus est, mouenda vrina, eliciendus omni modo su-
dor. In hoc genere morborum sanguinem etiam mi-
sisse, concussisse uehemētibus gestationibus, corpus

in lumine habuisse, imperasse famem, sitim, uigiliam prodest. Utile est etiam ducere in balneum, prius demittere in solium, tum ungere, iterum ad solium redire, multaq; aqua fouere inguina, interdum etiam oleum in solio cum aqua calida miscere, uti cibo rarius, & serius tenui, simplici, molli, calido, exiguo, maximeque oleribus, qualia sunt, lapatium, vrtica, malua, vel iure etiam concharum, musculorumve, aut locustarum, neque danda caro nisi elixa est. At potio esse debet magis liberalis & ante cibum, & post hunc, & cum hoc ultra quam sitis coget. Poteritq; a balneo etiam pinguius, aut dulcius dari vinum. poterit semel, aut bis interponi Græcum salsum. Contra vero si corpus profluet, sudor coercendus, quies adhibenda erit, tenebris, somnoq; quandocunque volet, utendum. non nisi leui gestatione corpus agitandum, & pro genere mali subueniendum. Nam si venter fluit, aut si stomachus non continet, ubi febris decreuit, liberaliter oportet aquam tepidam potui dare, & vomere cogere, nisi aut fauces, aut præcordia, aut latus dolet, aut vetus morbus est. Si vero sudor exercet, duranda cutis est vel nitro, vel sale, quæ cum oleo miscentur. At si leuius id vitium est, oleo corpus ungendum est, si vehementius, rosa, vel melino, vel myrteo, cui vinum austerrum sit adiectum. Quisquis autem fluore æger est, cum venit in balneum, prius ungendus, deinde in solium demittendus est. Si in cute vitium est, frigida quoq; quam calida aqua melius utetur. Vbi ad cibum ventum est, dari debet his valens, frigidus, siccus simplex, qui quam minime corrumpi possit, panis tostus, caro assa, vinum asperum, vel certe subausterum, si venter profluit, calidum, si sudores nocent, vomitusq; sunt, frigidum.

Quomodo pestilentes febres curari debeant.

C A P. VII.

DEsiderat etiam propriam animaduerſionē in febribus peſtilentiæ caſus. In hac minime vtile eſt, aut fame, aut medicamentis uti, aut ducere aluum. Si vires ſinunt, ſanguinem mittere optimū eſt. præcipueq; ſi cum dolore febris eſt. Si id parum tutū eſt, vbi febris aut tenuata eſt, aut leuata eſt, vomitu pectus purgare. Sed in hoc maturius, quā in aliis morbis ducere in balneum opus eſt, vinum calidum, & meracius dare, & omnia glutinoſa. inter quæ carnem quoq; generis eiꝰdem. Nam quocelerius eiꝰſmodi tempeſtates corripiunt, eo maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate rapienda ſunt. Quod ſi puer eſt, qui laborat, neq; tātum robur eiꝰ eſt, vt ſanguis mitti poſſit, ſiti ei vtendum eſt, ducenda aluus, vel aqua, vel ptiſanæ cremore, tum demū iſ leuibus cibis nutriēduſ. Et ex toto non ſic pueri vt viri curari debent. Ergo, vt in alio quoq; genere morborū parcius in hiſ agēduſ eſt. Nō facile ſanguinem mittere, non facile ducere aluum, non cruciare vigilia, fameve, aut nimia ſiti, nō vino curare ſatis cōuenit. Vomitus poſt febrem eliciēduſ eſt, deinde dāduſ cibus ex leuiſſimis, tū iſ dormiat, poſtero quoq; die ſi febris manet, abſtineatur. Tertio ad ſimilem cibū redeat. Dandaq; opera eſt, quātum fieri poteſt, vt inter oportūnā abſtinētiā cibosq; oportunos, omiſſis cæteris, nutriatur. Si vero ardēs febris extorret, nulla medicamēti danda potio eſt, ſed in iſſis acceſſionibus oleo, & aqua refrigerandus eſt, quæ miſcēda manu ſunt, donec albescant, & conclauī tenendꝰ, quomultum, & purum aerem trahere poſſit, neq; multis veſtimentis ſtrangulandꝰ, ſed admodum leuibus tantum velandꝰ eſt. Poſſunt etiam ſuper ſtomachum

imponi folia vitis in aqua frigida tincta. Ac ne siti quidem nimia vexandus est. alendus maturius est, id est à die tertio, & ante cibum iisdem perurgendus. Si pituita in stomacho coit, inclinata iam accessione uomere cogendus est, & tunc dandum frigidum oculus, aut pomum ex his, quæ stomacho conueniunt. Si siccus manet stomachus, protinus vel prisanæ, vel alicæ, vel orizæ cremor dandus est, cum quo recens adeps cocta sit. Cum vero in summo incremento morbus est, utiq; nō ante diem quartum magna siti antecedente, frigida aqua copiose præstanda est, ut bibat etiam ultra satietatem, & cum iam venter, & præcordia ultra modum repleta, satisq; refrigerata sunt, vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt, sed ipsa aqua frigida, tantum ad satietatem data, pro medicamento vtuntur. Vbi utrūlibet factum est, multa veste operiendus est, & collocandus ut dormiat. Ferèq; post longam sitim, & vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur. idq; presentissimum auxilium est. Sed in his tamen, in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens vel in thorace, vel in pulmone, vel in faucibus, non vlcus, non deiectio, non profluvium alui fuit. Si quis autem in eiusmodi febre leuiter tussit, is neq; vehementi siti conflictatur, neq; bibere aquam frigidam debet, sed eo modo curandus est quo in cæteris febribus præcipitur.

Curatio semitertianæ febris, quæ hemitri-

txos dicitur. CAP. VIII.

AT ubi id genus tertianæ est, quod præterea medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat. Habet enim plerunque frequentiores accessiones, decessionesq; ut aliud morbi genus,

G iiij

videri possit, porrigitq; febris inter horas viginti-
quatuor, & triginta sex, vt quod idem est, non idem
esse videatur. Et magnopere necessarium est, neque
dari cibum, nisi in ea remissione, quæ vera est, & vbi
ea venit, protinus dari, plurimiq; sub alterutro curan-
tis errore subito moriuntur. ac nisi magnopere ali-
qua res prohibet, inter initia sanguis mitti debet,
tum dari cibum, qui neque incitet febrem, & tamen
longum eius spatium sustineat.

Curatio lentarum febrium.

CAP. IX.

Nonnunquam etiam lentæ febres sine vlla
remissione corpus tenent, ac neq; cibo, neq;
vlli remedio locus est. In hoc casu medici
cura esse debet, vt morbum mutet. Fortasse. n. curatio
ni oportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui o-
leum sit adiectum, corpus eius pertractandum est.
quoniam interdum sic euenit, vt horror oriaur, &
fiat initium quoddam noui motus, exq; eo, cum ma-
gis corpus incaluit, sequatur etiam remissio. In his
frictio quoque ex oleo, & sale salubris videtur. at si
diu frigus est, & torpor, & iactatio corporis, nō alie-
num est in ipsa febre dare mulsi tres, aut quatuor cya-
thos, vel cum cibo vinum bene dilutum. Intenditur
enim sæpe ex eo febris, & maior ortus calor, simul
& priora mala tollit, & spem remissionis in ea cura-
tione ostendit. Neq; Hercule ista curatio noua est,
qua nunc quidam traditos sibi ægros, qui sub cautio-
ribus medicis trahebantur, interdum contrariis re-
mediis sanant. si quidem apud antiquos quoque ante
Erophilum, & Erasistratum, maximeq; post Hippo-
cratem fuit Petro quidam qui febricitatē hominē,
vbi acceperat, multis vestimentis operiebat, vt simul
calorem ingentem, sitimque excitaret. Deinde vbi
paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam po-

tui dabat, ac si mouerat sudorem, explicuisse se & grū iudicabat. si non mouerat, plus etiam aquæ frigidaē ingerebat, & tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberauerat, protinus suillam assam, & vinū homini dabat. Si non liberauerat, decoquebat aquā sale adiecto, eamque bibere cogebat, vt mouendo ventrem purgaret. & intra hæc omnis eius medicina erat. eaque non minus grata fuit his, quos Hippocratis successores non refecerant, quam nunc est his, quos Erophili, vel Erasistrati æmuli diu tractos non expedierunt. Neq; ideo tamen non est temeraria ista medicina, quia plures, si protinus à principiis except, interemit. Sed cum eadem omnibus conuenire non possint, ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuvat. Ideoque eiusmodi medici melius alienos ægros, quam suos nutriunt. Sed est circumspecti quoque hominis & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere, quia curationem, vbi id quod est, non recipit, potest recipere id, quod futurum est.

Remedia in febribus ad capitis dolorem, & præcordiorum inflammationem, & ariditatem, & scabritiem linguæ. CAP. X.

Considerandum etiam est febres ne solæ sint, an alia his quoque mala accedant, idest num caput doleat, num lingua aspera, num præcordia intenta sint. Si capitis dolores sunt, rosam cum aceto miscere oportet, & in id ingerere, deinde habere duo pittacia, quæ latitudinem frontis, longitudinemque æquent. Ex his inuicem alterum in aceto, & rosa habere, alterum in fronte, aut intincta hisdem lanam succidam imponere. Si acetum offendit, pura rosa vtendum est. Si rosa ipsa lædit, oleo acerbo. si ista parum iuuant, teri potest vel iris arida,

vel nuces amaræ, vel quælibet herba ex refrigerantibus. Quorum quidlibet ex aceto impositum dolorem minuit, sed magis aliud in alio. Inuat etiam panis cum papauere iniectus, vel cum rosa, cerussa, spumave argenti. Olfacere quoque vel serpillum, vel anethum non alienum est. At si in præcordiis inflammatio, & dolor est, primo superimponenda sunt cataplasmata reprimentia, ne si calidiora fuerint, plus eò materiæ concurrat. Deinde vbi prima inflammatio se remissit, tunc demum ad calida, & humida veniendum est, vt ea quæ remanserint, discuciant. Notæ vero inflammationis sunt quatuor, rubor, & tumor cum calore, & dolore. Quo magis errauit Erasistratus, qui febrem nullam sine hac esse dixit. Ergo si sine inflammatione dolor est, nihil imponendum est. Hunc enim statim ipsa febris soluit. At si neque inflammatio, neque febris, sed tantum præcordiorum dolor est, protinus calidis, & siccis fomentis vtilicet. Si vero lingua sicca est, & scabra, detergenda primum penicillo est ex aqua calida. deinde vngenda mixtis inter se rosa, & melle. Mel purgat, rosa reprimat, simulque siccescere non sinat. At si scabra non est, sed arida, vbi penicillo deterfa est, vngi rosa debet, cui ceræ sit paulum adiectum.

Remedia contra frigus, quod febrem præcedit.

C A P. XI.

Solent etiam ante febres esse frigus, idque vel molestissimum morbi genus est. Vbi id expectatur, omni potione prohibendus eger est. hæc enim paulo ante data multum mali adiicit. Item maturius veste multa tegendus est. admouenda partibus his, pro quibus metuiamus, sicca & calida fomenta, sic, ne statim vehementissimi calores incipiant, sed paulatim increcant. Perfricandæ quoque eæ par-

tes manibus vnctis ex vetere oleo sunt, eique ad-
ciendum aliquid ex calefacientibus. Contentique
medici quidam una frictione etiam ex quolibet oleo
sunt. In harum febrium remissionibus nonnulli
tres, aut quatuor sorbitionis cyathos etiam num
vltra manente febre dant. deinde ea bene finita re-
ficiunt stomachū cibo frigido, & lene. Ego tum hoc
puto tentandum, cum parum cibus semel, & post fe-
brē datus prodest. sed curiosē perspicendum est, ne
tēpus remissionis decipiat. Sēpe enim in hoc quoq;
genere valetudinis iā minui febris videtur, & rursus
intenditur. Itaq; remissioni credendū est, quæ etiam
immoratur, & iactationem, fœtorumque quendam
oris, quem ὀσμή Græci vocant, minuit. Illud satis
conuenit, si cotidie pares accessiones sunt, cotidie
paruum cibum dandum. si impares, post grauiorem
cibum, post leuiorem, aquam mulsam.

Curatio horroris in febribus. CAP. XII.

HOrror autem eas ferē febres antecedit, quæ
certum habent circuitum, & ex toto remit-
tuntur. Ideoque tutissimæ sunt, maxime-
que curationes admittunt. Nam vbi incerta tempo-
ra sunt, neque alui ductio, neque balneum, neque
vinum, neque medicamentum aliud recte datur. in-
certum est, enim quando febris ventura sit, ita fieri
potest, vt si subito venerit, summa in eo perniciēs
sit, quod auxiliij causa sit inuentum. Nihilque aliud
fieri potest, quam vt primis diebus bene abstineat
aeger. deinde sub decessu febris eius, quæ grauissima
est, cibumumat. at ubi certus circuitus est, facilius
omnia illa tentatur, quia facilius proponere nobis &
accessionū, & decessionū vices possumus. In his autē
cum veterauerūt, vtilis fames non est. Primis tantū-
modo diebus ea pugnandū est, deinde diuīdēda cura

COR. CELSI

tio est, & ante horror, tum febris discutienda. Igitur cum primum aliquis inhorruit, & ex horrore inclauit, dare ei oportet potui tepidam aquam subsalsam, & vomere eum cogere. nam ferè talis horror ab his oritur, quæ biliosa in stomacho resederunt. idem faciendum est, si proximo quoque circuitu æque cessit, sæpe enim sic discutitur. iamque quod genus febris sit, scire licet, itaque sub expectatione proximæ accessionis, quæ instare tertia potest, deducendus in balneum est, dandaque opera est, vt per tempus horroris in solio sit. si ibi quoque senserit, nihilominus idem sub expectatione accessionis quartæ faciat. si quidem eo quoque modo sæpe id discutitur. si nec balneum quidem profuit, antè accessionem alium edat, aut bibat calidam aquam cum pipere, si quidem ea quoque assumpta calorem mouent, qui horrorem non admittit. Deinde eo modo, quo in frigore præceptum est, antequam inhorrescere possit, operiatur. Fomentisq; protinus validioribus totum corpus circundare conuenit, maximeque inuolutis exinctis testis, & titionibus. Si nihilominus horror perruperit, multo oleo calefacto inter ipsa vestimenta perfundatur, cui æque ex calefacientibus aliquid sit adiectum, adhibeaturq; frictio quantam is sustinere poterit, maximeque in manibus, & pedibus, & spiritum ipse contineat. neq; desistendum est etiam si horror est. Sæpe enim pertinacia iuuantis malum corporis vincit. Si quid euomuit, danda aqua tepida, iterumque vomere cogendus est, vtrendumq; eisdem est, donec horror finiatur. Sed præter hæc, ducenda alius est, si tardius horror quiescit, si quidem id quoque exonerato corpori prodest. Vltima quoque post hæc auxilia sunt gestatio, & frictio. Cibus autem in eiusmodi morbis maxime dandus est, qui mollem aluum præstet. Caro glutinosa, vinum cum dabitur, austerum.

Curatio cotidianæ febris. CAP. XIII.

HÆc ad omnes circuitus febrium pertinent, discernendæ tamen singulæ sunt, sicut rationem habent dissimilem. si cotidianæ est, tri-duo primo magnopere abstinere oportet, tum cibis altero quoque die uti. Si res inueterauerit, post febre[m] experiri balneum, & vinum, magisque si horrore sublato hæc superest.

Curatio tertianæ febris. CAP. XIII.

SI tertiana vero, quæ ex toto intermittit, aut quartana est, medijs diebus, & ambulationibus uti oportet, alijsq[ue] exercitationibus, & vñctionibus. quidam ex antiquioribus medicis Cleophantus in hoc genere morborum multo ante accessionem caput ægri multa calida aqua perfundebat, deinde vinum dabat. quod quanvis pleraque eius uiri præcepta secutus est Asclepiades, recte tamen præteriiit. Est enim anceps ipse, si tertiana febris est, tertio die post accessionem dicit aluum duci oportere. quinto post horrorem vomitum elicere. deinde post febre[m], sicuti illi mos erat, adhuc calidis dare cibum, & vinum. sexto die in lectulo detineri. sic enim fore ne septimo die febris accedat. Id sæpe fieri posse verisimile est. Tutius tamen est, ut hoc ipso ordine utamur tria remedia, vomitus, alui ductionis, vini potus per triduum, idest die tertio, & quinto, & septimo tentare. nec vinum nisi post accessionem die septimo bibat. Si vero primis diebus discussus morbus non est, inciditque in vetustatem, quo die febris expectabitur, in lectulo se contineat, post febre[m] perfricetur, tum cibo assumpto bibat aquam. postero die, quo cibo vacat, & ab exercitatione, vñctio-

neque aqua tantum contentus conquiescat. Et id quidem optimum est. Si vero imbecillitas virgebit, & post febrem vinum, & medio die paulum cibi debet assumere.

Curatio quartanæ febris. CAP. XV.

EAdem in quartana facienda sunt. Sed cum hæc tarde admodum finiatur, nisi primis diebus discussa est, diligentius ab initio præcipiendum est, quid in ea debeat fieri. Igitur si cui cum horrore febris accessit, eaque desit, eodem die, & postero; tertioque continere se debet, & aquam tantummodo calidam primo die post febrem sumere, bi duo proximo quantum fieri potest ne hanc quidē. si quarto die cum horrore febris reuertitur, vomere sicut ante præceptum est, deinde post febrem modicum cibum sumere, vini quadrantem. Postero, tertioque die abstinere, aqua tantummodo calida, si sitiet, assumpta, septimo die balneo frigus præuenire, abstinere, continere se debet, & aqua tantummodo calida si sitiet, ac tū ita septimo die balneo frigus præuenire, si febris redierit, ducere aluum. ubi ex eo corpus conquieuerit, inunctione vehementer perfricari, eodem modo sumere cibum, & vinum, bi duo proximo se abstinere frictione seruata. decimo die rursus balneū expiri, & si postea febris accessit, æque perfricari, vinū copiosius bibere, ac si proximum est quies tot dierum, vt abstinencia cum cæteris quæ præcipiuntur, febrem tollant. Si vero nihilominus remanent, aliud ex toto sequendum est curationis genus, idque agendum, vt quod diu sustinendum est, corpus facile sustineat. Quo minus etiam curatio probari Heraclidis Tarentini debet, qui primis diebus ducendam aluum, deinde abstinendum vsque in septimum diem dixit. Quod vt sustinere aliquis pos-

fit, tamen etiam febre liberatus, vix refectioni valebit. adeo si febris sæpius accesserit, concider. Igitur si terciodecimo die morbus remanebit, balneum neque ante febrem, neque post eam tentandum erit, nisi interdum iam horrore discusso. Horror ipse per eadem, quæ supra præscripta sunt, expugnandus. Deinde post febrem oportebit vngi, & vehementer perfricari, cibum & validum, & fortiter assumere. vino uti quantum libebit. postero die cum satis quieverit, ambulare, exerceri, vngi, perfricari fortiter, cibum accipere sine vino, tertio die abstinere, quo die vero febrem expectabit, ante surgere, & exerceri, dareque operam non oportet, ut in ipsam exercitacionem tempus febris incurrat. sic enim sæpe illa discutitur. At si in opere occupauit, tum demum se recipere. In eiusmodi valetudine medicamenta sunt, oleum, frictio, exercitatio, cibum, vinum. Si venter strictus est, soluendus est. Sed hæc facile validiores faciunt. si imbecillitas occupauit, pro exercitacione gestatio est. Si ne hanc quidem sustinet, adhibenda tamen frictio est. si hæc quoque vehemens onerat, intra quietem, & vnditionem, & cibum sistendum est, dandaque opera est, ne qua cruditas in cotidianam id malum vertat. Nam quartana neminem iugulat. sed si ex ea facta cotidiana est, in malis æger est. Quod tamen nisi culpa vel ægri, vel curantis nunquam fit.

Curatio duarum quartanarum. CAP. XVI.

AT si due quartanæ sunt, neque hæc, quas proposui, exercitationes adhiberi possunt, aut ex toto quiescere opus est, aut si id difficile est, leuiter ambulare, considerare diligenter inuolutis pedibus, & capite. Quoties febris accessit, & desit, cibum modicum sumere, & vinum. reliquo tempore nisi imbecillitas vr-

C O R. C E L S I

get, abstinere. Aut si duæ febres penè iunguntur, post
vtrāq; cibū sumere. Deinde vacuo tempore & moue
rialiquid, & post vnctionē cibo vti. Cum vero vetus
quartana raro, nisi vere soluatur, vtiq; eo tempore
attendendum est ne quid fiat, quod valetudinem im
pediat. Prodestque in vetere quartana mutare sub
inde victus genus, à vino ad aquam, ab aqua ad vinū,
à lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes transire,
esse radicē, deinde vomere, iureve pulli gallinacei vē
trem resolvere, oleum ad frictiones adicere, cale
facientia ante accessionem sorbere, vel aceti cya
thos duos, vel vnum sinapis cum tribus græci vini
falsi, vel mixta paribus portionibus, & in aqua dilu
ta, piper, castoreum, laser, myrram. per hæc enim
similiaque corpus agitandum est, vt moueatur ex eo
statu, quo detinetur. Si febris quieuit, diu meminis
se eius dici conuenit, eoq; vitare frigus, calorem,
cruditatem, lassitudinem. Facile enim reuertitur, ni
si à sano quoque aliquandiu timetur.

Curatio cotidiane febris, quæ ex quartana
facta sit. CAP. XVII.

AT si ex quartana cotidiana facta est, cum id
vitio inciderit, per biduum abstinere opor
tet. frictionē vti, aquam tantummodo ve
sperti potui dare. tertio die sæpe fit ne febris acce
dat. sed siue fuit, siue non fuit, cibus post accessio
nis tempus est dandus, at si manet, per biduum absti
nentia, quanta maxime imperari corpori potest, fri
catione cotidie vtendum est.

De tribus insanie generibus, & primo de eius
curatione, quæ à græcis phrenitis dicitur.

CAP. XVIII.

ET

ET febrium quidē ratio exposita est. supersunt vero alii corporis affectus, qui huic superueniunt. ex quibus eos, qui certis partibus assignari non possunt, protinus iungam. Incipiam ab infania, primamq; huius ipsius partem agrediar, quæ & acuta, & in febre est, Græci *φρενίτις* appellant. Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione ægros delirare, & loqui aliena. Quod non quidem leue est, neque incidere potest, nisi in febre vehementi, non tamen æque pestiferum est. Nam plerunque breue esse consuevit, leuatoque accessione impetu protinus mens redit. Neque id genus morbi remedium aliud desiderat, quam quod in curanda febre præceptum est. Phrenitis vero tum demum est, cum cōtinua dementia esse incipit, aut cum æger quamuis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit. pfecta est vbi mens illis imaginibus addicta est. Eius autem plura genera sunt, si quidem ex phreniticis alii hilares, alii tristes sunt, alii facilius continentur, & intra verba desipiunt. alii consurgūt, & violententer quædam manu faciunt. atq; ex his ipsis alii nihil nisi impetu peccant, alii etiam artes adhibent, summamque spem sanitatis in captandis maiorum operum occasionibus præbent, sed exitu depræhenduntur. Ex his autem eos, qui intra verba desipiunt, aut leuiter etiam manu peccant, onerare asperioribus coercitionibus superuacuum est. Eos vero, qui violentius se gerunt, vincere conuenit, ne vel alteri, vel sibi noceant. Neq; credendum est si vincetus aliquis dum leuari vinculis cupit, sanum iam se fingat, quamuis prudēter, & miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est. Ferè vero antiqui tales ægros in tenebris habebant, eo quodeis contrarium esset exterreri, & ad quietē animi tenebras ipsas cōferre aliquid iudicabant. At Asclepiades tanquam tenebris ipsis terrentibus in lumine habendos esse

H

dixit. neutrum tamen perpetuum est. alium enim lux, alium tenebræ magis turbant. reperiunturq; in quibus nullum discrimen depræhendi vel hoc, vel illo modo possit. Optimum itaq; est, vtrumq; experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce, eum, qui lucem, in tenebris. At vbi nullum tale discrimen est, æger si vires habet, loco lucido, si non habet, obscuro continendus est. Remedia vero adhibere vbi maxime furor vrget, superuacuum est. simul enim febris quoque increscit. itaq; tum nihil nisi continendus æger est. Vbi vero res patitur, festinanter subueniendū est. Asclepiades perinde esse dixit his sanguinem mitti, ac si trucidentur, rationem hanc secutus, quod neq; insania esset, nisi febre intenta, neq; sanguis nisi in remissione eius recte mitteretur. Sed ipse in his somnū multa frictione quæsiuit, cum & intentio febris somnum impediatur, & frictio non nisi in remissione eius utilis sit. Itaq; hoc quoq; auxilium debuit præterire. Quid igitur est? Multa in præcipiti periculo recte sunt alias omittenda. & continuata quoq; febris habet tēpora, quibus & si non remittit, non tamen crescit. Estq; hoc vt non optimum, sic tamen secundum remedij tempus. Quod si vires ægri patiuntur, sanguis quoq; mitti debet. Nec minus deliberari potest an alius ducenda sit. tum interposito die conuenit caput ad cutem tondere, deinde aqua fouere, in qua verbenæ aliquæ decoctæ sint, vel ex reprimentibus, aut prius fouere, deinde tondere, & iterum fouere, ac nouissime rosa caput, naresque implere, offerre etiam naribus rutam ex aceto contritam, mouere stēnutamenra medicamentis in id efficacibus. Quæ tamē facienda sunt in his, quibus vires non desunt. Si vero imbecillitas est, rosa tantum caput adiecto serpillio, similiq; aliquo madefaciendum est. Vtiles etiam in quibuscūq; viribus herbe due sunt, solanū, & muralis, simul ex vtraq;

succo expresso caput impleatur. cum se febris remiserit, frictione vtendum est. partius tamen in his qui nimis hilares, quàm in his qui nimis tristes sunt. Ad uersus omnium autem sic insanientium animos, gerere se pro cuiusque natura necessarium est. Quorundam enim vani metus leuandi sunt, sicut in homine prædiuite famen timente incidit, cui subinde falsæ hereditates nunciabantur. Quorundam audacia coercenda est, sicut in his fit, in quibus continendis plagæ quoque adhibentur. Quorundam etiam intèpestius risus & obiurgatione, & minis prohibendus est. Quorundam discutiendæ tristes cogitationes, ad quæ symphonix, & cymbala, strepitusque proficiunt. Sæpius tamen assentiendum, quàm repugnandum est, paulatimque, & non euidenter ab his, quæ stultè dicuntur, ad meliora mens eius abducenda est. Interdum etiam elicienda ipsius intentio, vt fit in hominibus studiosis literarum, quibus liber legitur, aut recte si delectantur, aut perperam, si id ipsum eos offendit. emendando enim conuertere animum incipiunt. Quin etiam recitare si qua meminerunt cogendi sunt. Ad cibum quoque quosdam non desiderantes reducere hi, qui inter epulantes eos collocauere. Omnibus vero sic affectis somnus & difficilis, & præcipue necessarius est. sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id, atque etiam ad mentem ipsam componendam crocinum vnguentum cum irino in caput datû. Si nihilominus vigilant hi, quidam somnum moliantur potuidando aquam, in qua papauer, aut *ῥοσιν* *ῥοσιν* decocta sit, alii mandragoræ mala puluino subiiciunt, alii vel amomum, vel sicamini lachrymam fronti inducunt. hoc nomen apud medicos reperio. Sed cum Græci morum *σικαμινον* appellant, mori nulla lachryma est. sic vero significatur lachryma arboris in Aegypto nascentis, quàm ibi *μυρρὸς σικον* appellat. Plurimi decoctis papaueris corticibus, ex ea

COR. CELSI

aqua subinde Spongia os, & caput fouent. Asclepiades ea superuacua esse dixit, quoniam in Lethargum saepe compellerent. Præcipit autem ut primo die à cibo, potione, somno abstinere, vespere ei daretur potui aqua, tunc frictio admoueretur lenis, ita ut ne manum quidem qui fricaret, vehementer imprimere. postero deinde die hisdē omnibus factis, vespere ei daretur sorbitio, & aqua, rursusq; frictio adhiberetur. Per hanc enim nos consecuturos, ut somnus accedat. Id interdum fit, & quidem adeo, ut illo confitente nimia frictio etiam lethargi periculum afferat. Sed si sic somnus non accessit, tum demum illis medicamentis accersendus est, habita scilicet eadem moderatione, quæ hic quoq; necessaria est, ne quem obdormire volumus, excitare postea non possumus. Confert etiam aliquid ad somnum silanus iusta cadens, vel gestatio post cibum, & noctu, maximeque suspensi lecti motus. Neque alienum est, si neque sanguis ante missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso cucurbitulam admoovere. quæ quia leuat morbum, potest etiam somnum facere. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda est. Nam neque implendus æger est, ne insaniat. neque ieiunio utique vexandus est, ne imbecillitate in cardiacum incidat. Opus est autem cibo iufirmo, maximeque sorbitione, potione aquæ mulæ, cuius ternos cyathos bis hyeme, quater æstate dedisse satis est. Alterum genus insanix est, quod spatium longius recipit, quia ferè sine febre incipit, leues deinde febriculas excitat, & consistit in tristitia, quam videtur bilis atra contrahere. in hac utilis detractio sanguinis est. Si quid hanc prohibet, prima est abstinentia, secunda per album veratrum, vomitumque purgatio. post utrumlibet adhibenda bis die frictio est, si magis valet, frequens etiam exercitatio. In ieiuno vomitus, cibis sine vino dā-

duſ ex media materia eſt. Quam quoties poſuero, ſcire licet etiam ex infermiſſima dari poſſe, dum ne ea ſola quis vtatur, valentiſſima tantummodo eſſe remouenda. præter hæc ſeruanda aliud eſt quam tenerima. remouendi terrores, & potius bona ſpes afferenda. quærenda delectatio ex fabulis, ludisque: quibus maxime capi ſanus aſſueuerat. Laudanda ſi qua ſunt ipſius opera, & ante oculos eius ponenda. Leuiter obiurganda vana triſtitia. Subinde admonendus in his ipſis rebus, quæ ſolicitant, cur non potius letitiæ, quam ſolicitudinis cauſa ſit. Si febris quoque acceſſit, ſicut aliæ febres curanda eſt. Tertium infantiæ genus eſt ex his longiſſimum, adeo vt vitam ipſam non impediat, quod robuſti corporis eſſe conſuevit. huius autem ipſius ſpecies duæ ſunt. Nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem inſanientem Aiaceſ, vel Oreſtem poetarum fabulæ ferunt. quidam animo deſipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia videndum eſt, triſtes, an hilares ſint. In triſtitia nigrum veratrum deiectionis cauſa, in hilaritate album ad vomitum excitandum dari debet. idque ſi in portione non accepit, pani adiiciendum eſt, quo facilius fallat. nam ſi bene ſe purgauerit, ex magna parte morbum leuabit. Ergo etiam ſi ſemel datum veratrum parum profece- rit. interpoſito tempore iterum dari debet. Neque ignorare oportet, leuiorem eſſe morbum cum riſu, quam ſerio inſanientium. Illud quoque perpetuum eſt in omnibus morbis, vbi ab inferiore parte purgandus aliquis eſt, ventrem eius ante ſoluendum eſſe, vbi à ſuperiore, comprimendum. Si vero conſilium inſanientem fallit, tormentis quibuſdam optime curatur. Vbi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, plagis coercendus eſt, Cogendus eſt, & attendere, & ediſcere aliquid. & meminiffe. Sic enim fiet vt paulatim metu cogat.

C O R. C E L S I

tur considerare quid faciat. Subito etiam terreri, & expauescere in hoc morbo prodest. Et ferè quicquid animum vehementer perturbat. Potest enim quædam fieri mutatio, cum ab eo statu mens in quo fuerat, abducta est. Interest etiam si ipse sine causa subinde rideat, an mestus, demissusque sit. nam demens hilaritas terroribus his, de quibus supra dixi, melius curatur. si nimia tristitia est, prodest lenis, sed multa bis die frictio. Item per caput aqua frigida infusa, demissumque corpus in aquam, & oleum. Illa communia sunt, insanientes vehementer exerceri debere, multa frictione uti, neque pinguem carnem, neque vinum assumere, cibis uti post purgationem ex leui materia quàm leuissimis. non oportere esse vel solos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligent. mutare debere regiones, & si mens redit, annua peregrinatione esse iactandos. Rarò, sed aliquando tamen ex metu delirium nascitur. Quod genus insanientium specie, similiq; victus genere curandum est, præterquàm quod in hoc insanix genere solo recte vinum datur.

Cardiaci morbi curatio.

CAP. XIX.

Hic morbo præcipue contrarium est, id genus, *ἡ καρδιακὴ μανία* à Græcis nominatur, quæ uis sæpe ad eum phrenetici transeunt. Si quidem mens in illis labat, in hoc constat. Id autem nihil aliud est, quàm nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Licetque protinus scire id esse, ubi venarum exigui, imbecillique pulsus sunt. Sudor autem supra consuetudinem, & modo, & tempore ex toto thorace, & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo & cruribus siccioribus, atque frigentibus. At ubi id morbi genus est, curatio pri-

ma est, supra præcordia imponere quæ reprimant cataplasmata. secunda, sudorem prohibere. id præstat acerbum oleum, vel rosa, vel melinum, aut myrteum. quorum aliquo corpus leuiter perungendum, caratumque ex aliquo horum tum imponendum est. si sudor vincit, delinendus homo est vel gypso, vel argenti spuma, vel cimolia creta, vel etiam subinde horum puluere respergendus. Idem præstat puluis ex contritis aridi myrti, vel rubi foliis, aut ex austeri, & boni vini arida fece. Pluraque similia sunt, quæ si desunt, satis utilis est quilibet ex via pulvis iniectus. Super hæc vero quo minus corpus insudet, leui veste debet esse contextus, loco non calido, fenestris patentibus sic, vt perflatus quoque aliquis accedat. Tertium auxilium est imbecillitati iacentis vino, ciboque succurrere. Cibus non multus quidem, sed sæpe tamen nocte, ac die dandus est, vt nutriat, neque oneret. is esse debet ex infirmissima materia, & stomacho aptus. nisi autem necesse est, ad vinum festinare non oportet. si verendum est ne deficiat, tum & intrita ex hoc, & hoc ipsum austerum quidem, sed tamen tenue meracum. Egelidum subinde, & liberaliter dandum est, adiecta polenta, si modo is æger parum cibi assumit. Idque vinum esse debet neque nullarum virium, neque ingentium, recteque tota die, ac nocte vel treis heminas æger bibet. si vastius corpus est, plus etiam. Si cibum non accipit, perunctum ante perfundere aqua frigida conuenit, & tum dare. Quod si stomachus resolutus parum continet, & ante cibum, & post eum, & sponte vomere oportet, rursusque post vomitum cibum sumere. si ne id quidem manserit, sorbere vini cyatum, interpositaque hora sumere alterum. si id quoque stomachus reddiderit, totum corpus bulbis contritis superillinendum est, qui ubi inaruerunt, efficiunt, vt vinum in stomacho con-

tineatur, exque eo toti corpori calor, venisque vis redeat. Vltimum auxilium est, in alium ptisanæ, vel alicæ cremorem ex inferioribus partibus iniicere, si quidem id quoque vires tuetur. Neq; alienum est nari bus quoque effluantis id mouere, quod reficiat, id est rosam, & vinum. Et si qua in extremis partibus frigent, vinctis, & calidis manibus fovere. p. quæ si consequi potuimus, vt & sudoris impetus minuatur, & vita prorogetur, incipit iam tempus ipsum esse pre- sidio. Vbi in tuto esse videtur, verendum est, tamen ne ad eandem imbecillitatem cito recidat. Itaque vino tantum remoto, cotidie validiorem cibum debet assumere, donec satis virium corpori redeat.

De lethargo, & eius curatione. CAP. XX.

Alter quoque morbus est aliter phrenetico contrarius. In illo difficilis somnus, prom- pta ad omnem audaciam mens est. At in hoc marcor & inexpugnabilis penè dormiendi necessi- tas, ἄλθαρτον Græci nominant. atque id quoque ge- nus acutum est, & nisi succurritur, celeriter ingulat. Hos ægros quidam subinde excitare nituntur admo- tis his, quæ per sternutamenta euocantur, & his, quæ odore fædo mouent, qualis est pix cruda, lana succi- da, piper, veratrum, castoreum, acetum, allium, ce- pa, iuxta etiam galbanum incendunt, aut pilos, aut cornu ceruinum. si id non est, quod libet aliud. Hæc enim cum comburuntur, odorē fædum mouent. Thar- rias vero quidam accessionis esse id malum dixit, le- uarique cum ea decessit. Itaque eos, qui subinde ex- citant, sine vsu male habere. Interest autem in deces- sione expergiscatur æger, an cum febris nō leuetur, aut leuata quoque ea somnus vrgeat. Nam si expgisci- tur, adhibere ei vt sopito superuacuū est. neq; enim vigilando melior fit, sed per se, si melior est, vigilat.

Si vero cōtinens ei somnus est, utiq; excitandus est. sed his temporibus, quibus febris leuissima est, vt & excernat aliquid, & sumat. Excitat autem validissime repente aqua frigida infusa post remissionem. Itaq; perunctum oleo multo corpus tribus, aut quatuor amphoris totum per caput perfundendum est. Sed hoc vtetur, si æqualis ægro spiritus erit, si mollia præcordia. Sin aliter hæc erunt, ea potiora, quæ supra comprehensa sunt. Et quod ad somnum quidem pertinet, commodissima hæc ratio est. Medendi autem causa caput radendum, deinde postea fouendum est aqua, in qua laurus, aut ruta decocta sit. Altero die imponendum castoreum, aut ruta ex aceto cōtrita, aut lauri baccæ, aut hederæ cum rosâ, & aceto. Præcipueq; proficit, & ad excitandum hominem naribus admotum, & ad morbum ipsum depellendum capiti, frontive impositum sinapi. Gestatio etiam in hoc morbo prodest, maximeq; oportune cibus datus, idest in remissione quanta maxima inueniri poterit, aptissima autem sorbitio est, donec morbus, decrescere incipiat, sic vt si cotidie grauis accessio est, hæc cotidie detur. Si alternis, post grauiorem, sorbitio, post leuiorem, mulsæ aqua. Vinum quoque cum tempestiuo cibo datum, non mediocriter adiuuat. quod si post longas febres eiusmodi torpor corpori accessit, cætera eadem seruanda sunt. Ante accessionem autem tribus, quatuorve horis castoreum, si venter astrictus est, mixtum cum scamonea, si non est, per se ipsum cum aqua dandum est. Si præcordia mollia sunt, cibus vtendum est plenioribus. Si dura, in hisdem sorbitionibus subsistendum, imponendumque est præcordiis, quod simul & reprimat, & emolliat.

De aqua inter cutem, hoc est hydropico morbo. CAP. XXI.

COR. CELSI

Sed hic quidem acutus est morbus. Longus vero fieri potest eorum, quos aqua inter cutem male habet, nisi primis diebus discussus est, ὕδρωπα Græci vocant. Atque eius tres species sunt. Nam modo ventre vehementer intento creber intus ex motu spiritus sonus est. modo corpus inæquale est, tumoribus aliter, aliterq; per totum id orientibus. modo intus in vnum aqua contrahitur, & moto corpore ita mouetur, vt impetus eius cōspici possit. Primum τιμπανίτην, secūdum λυκοφλεγματίαν, uel ὑπόσασκα, tertium ἀσκήτην Græci nominant. Communis tamen omnium est humoris nimia abūdantia, ob quam ne vlcera quidem in his ægris facile sanescunt. Sæpe verò hoc malum per se incipit. Sæpe alteri vetusto morbo, maximeq; quartanæ superuenit. Facilius in seruis, quàm in liberis tollitur. quia cum desideret famem, sitim, mille alia tedia longamq; patietiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoq; non ignobilis medicus Chrysippi discipulus apud Antigonom regem amicum quendam eius notæ intemperantiæ mediocriter eo morbo implicitum, negauit posse sanari. Cumq; alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit illum ad morbum ægri respicere, se ad animum. neque eum res fefellit. Ille enim cum summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua deuorando, bibendoq; suam vrinam, in exitum se præcipitauit. Inter initia tamen non difficillima curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia. At si malum inueterauerit, non sine magna molestia discutitur. Metrodorum tamen Epicuri discipulum referunt, cum hoc morbo tentaretur, neq; ex quo animo ferret necessariam sitim, vbi

diu abstinuerat, bibere solitum, deinde euomere.
 Quod si redditur quicquid receptum est, multum te-
 dio demit. si à stomacho recentum est, morbum au-
 get. Ideoq; in quolibet tentandum non est. Sed si fe-
 bris quoq; est, hæc in primis submouenda est per eas
 rationes, per quas huic succurri posse propositū est.
 Si sine febre æger est, tum demum ad ea veniendū est
 quæ ipsi morbo mederi solent. atq; hic quoq; quæ-
 cunq; species est, si nondum nimis occupauit, iisdem
 auxiliis opus est. multum ambulandum, currendum
 aliquid est. superiores maxime partes sic perfrican-
 dæ, vt spiritum ipse contineat. euocandus est sudor
 non exercitatione tantummodo, sed etiam in harena
 calida, vel laconico, vel clibano, similibusq; aliis, ma-
 ximeq; vtilis naturales, & siccæ sudationes sunt, qua-
 les super baias habemus in myrtetis. balneum, atque
 omnis humor alienus est. Ieiuno recte catapotia dan-
 tur facta ex absinthii duabus, myrrheve tertia parte.
 Cibus esse debet ex media quidem materia, sed ta-
 men generis durioris. Potio non vltra danda est,
 quam vt vitâ sustineat optimaq; est, quæ vrinam mo-
 uet. Sed id ipsum tamen molliori cibo, quam medica-
 mento melius est. Si tamen res coget ex his aliquid,
 quæ id præstent, erit decoquendum, eaq; aqua potui
 danda. Videntur autem hanc facultatem habere, iris,
 nardum, crocum, cinnamum, amomum, cassia, myrra,
 balsamum, galbanum, ladanum, ænanthe, panace, car-
 damomum, hebenus, cupressi semen, vua timinia, quæ
 σαπὴν ἂν ἀπὸ πικρῶν, Græci nomināt, abrotanū, rosæ folia,
 acorum, amaræ nuces, tragoriganum, itorax, costum,
 iunci quadrati & rotundi semen, illud κυπρίον, χαί-
 ρον hoc Græci uocant. Quæ quoties posuero, non
 quæ hic nascuntur, sed quæ inter aromata asserun-
 tur, significabo. Primo tamen quæ leuissima ex his
 sunt, idest rosæ folia, vel nardi spica tentanda
 sunt. Vinum quoque vtile est, & aulterum, sed quāni

tenuissimum. Commodum est etiam lino cotidie ventrem metiri, & qua comprehendit aluum, notam imponere, postero die videre si plenius corpus sit, an extenuetur. Id enim quod tenuatur, medicinam sentit. Neque alienum est metiri & potionem eius, & urinam. Nam si plus humoris excernitur, quam assuitur, ita demum secundæ valetudinis spes est. Asclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa decidit, se abstinentia bidui, & frictione usum. tertio die iam & febre, & aqua liberato cibum, & vinum dedisse, memorie prodit. Hactenus communiter de omni specie dici potest. Si vehementius malum est, diducenda ratio curandi est. Ergo si inflammatio, & ex ea dolor creber est, utilis quotidianus, aut alterno quoque die post cibum vomitus est. Fomentis siccis, calidisq; vtendum est. Si per hæc dolor non finitur, necessariae sunt sine ferro cucurbitulae. Si ne per has quidem tormentum tollitur, incidenda cutis est, & tum his vtendum. Vltimum autem xilium est, si cucurbitulae nihil profuerunt, per alium infundere copiose aquam calidam, eamque recipere. Quin etiam cotidie ter, quaterve opus est vti frictione vehementi cum oleo, & quibusdam calefacientibus. Sed in hac frictione vehementi cum oleo, & quibusdam calefacientibus. Sed in hac frictione a ventre abstinendum est. Imponendum vero in eum crebrius sinapi, donec cutem erodat, ferramentisq; candentibus pluribus locis venter exulcerandus est, & seruanda vlcera diutius. Vtiliter etiam scylla cocta delinitur cutis, sed diu post has inflammationes abstinendum est ab omnibus instantibus. At si id vitium est, cui λευκοφλεγματία nomen est, eas partes, quæ tu ment, subiacere soli oportet, sed non nimium, ne febricula incidat, si is vehementior est, caput velandum est, vtendumque frictione madefactis tantum manibus aqua, cui sal, & nitrum, & olei paulum sit

adiectum sic, vt aut pueriles, aut muliebres manus adhibeantur, quo molior earum tactus sit. Idque si vires patiuntur, ante meridiem tota hora, post meridiem semi hora fieri oportet. Vtilia etiam sunt cataplasmata, quæ reprimunt, maximeque si corpora teneriora sunt. Incidendum quoque est super talum quattuor ferè digitis ex parte interiore, qua per aliquot dies frequens humor feratur, atq; ipsos tumores incidere altis plagis oportet. Concutiendumq; multa gestatione corpus est, atque vbi inductæ vulneribus cicatrices sunt, adiiciendum & exercitationibus est, & cibis, donec corpus ad pristinum habitum reuertatur. Cibus valens esse debet, & glutinosus, maximeq; caro. Vinum, si per stomachum licet, dulcius. sed ita vt inuicem biduo, triduo, modo aqua, modo id bibatur. Prodest etiam lactuæ marinæ, quæ grandis iuxta mare nascitur, semen cum aqua potui datum. Si valens est, qui id accipit, ei scylla cocta sicut supra dixi, delinitur. Authoresque multi sunt, inflatis vesicis pulsandos tumores esse. Si vero id morbi genus est, quo in vterum multa aqua contrahitur, ambulare, sed magis modice oportet. malagma quod digerat impositum habere, idq; ipsum superimposito triplici panno fasciâ, non nimium tamen vehementer astringere. quod à Tharrâ profectum, seruatum esse à pluribus video. Si iecur, aut lienem affectum esse manifestum est, sicum pinguem contusam adiecto melle superponere. Si per talia auxilia venter non ficcatur, sed humor nihilominus abundat, celeriore via succurrere, vt is per ventrem ipsum emittatur. Neque ignoro Erasistrato displicuisse hanc curandi viam. Morbum enim hunc iocineris putauit. Ideoq; ita illum esse sanandum, frustra que aquam emitti, quæ uitiatum illo subinde nascatur. Sed primum non huius visceris vni hoc vitium est. Nam splene affecto, & in totius cor-

C O R. C E L S I

poris malo habitu sit, deinde vt inde cœperit, tamē aqua nisi emittitur, quę contra naturam ibi subfistit, & iocineri, & cæteris interioribus partibus nocet. conuenitq; corpus nihilominus esse curandum. neque enim sanat emissus humor, sed medicinę locum facit, quam intus inclusus impedit. Ac ne illud quidem in controuersiam venit, quin non omnes in hoc morbo sic curari possint, sed iuuenes robusti, qui vel ex toto carent febre, vel certe satis liberales intermissiones habent. Nam quorum stomachus corruptus est, quiue ex atra bile huc deciderunt, quiq; malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non sunt. Cibus autem quo die primum humor emissus est, superuacuuus est, nisi si vires desunt. Insequentibus diebus & his vinum meracius quidē, sed non ita multum dari debet, paulatimq; euocandus æger est ad exercitationes, frictiones, solem, sudationes, nauigationes, & idoneos cibos, donec ex toto conualescant. Balneum rarum res amat, frequentiore in ieiunio vomitum. Si æstas est, in mare natare commodum est. vbi conualuit aliquis, diu tamen alienus ei veneris vsus est.

De tabe, & eius speciebus, & curationibus.

C A P. XXII.

Dutius sæpe, & periculosius tabes eos male habet, quos inuasit. Atq; huius quoq; plures species sunt. Vna est qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, & nisi occurritur, tollit. & τρωπίς hanc Græci vocant. Ea duabus ferè de causis incidere consuevit. aut enim nimio timore aliquis minus, aut auaritia nimia plusquam debet, assumit. ita vel quod deest, infirmat, vel quod superat, corrumpitur. Altera spe-

cies est, quam Græci κακὴ σίτην appellant, vbi malus corporis habitus est, ideoq; omnia alimenta corrumpuntur quod ferè fit, cum longo morbo vitiata corpora, etiam si illo vacant, refectioem tamen non accipiunt, aut cum malis medicamentis corpus affectū est, aut cum diu necessaria defuerunt, aut cum inusitatos, & inutiles cibos aliquis assumpsit, aliquidve simile incidit. Huic præter tabem illud quoque nonnunquam accidere solet, vt per assiduas pustulas, aut vlcera, summa cutis exasperetur, vel aliquæ corporis partes intumescant. Tertia est, longeq; periculossissima species, quam Græci φθίσις nominauerūt. Oritur ferè à capite, inde in pulmonem destillat, huic exulceratio accedit. ex hac febricula leuis fit, quæ etiam cum quieuit, tamen & repetit. Frequens tussis est pus excreatur, interdum cruentum aliquid. Quicquid excreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est. Itaque qui de morbo dubitant, hac nota vtuntur. Cum hæc genera tabis sint, animaduertere primum oportet, quid sit in quo laboratur. deinde si tantummodo non ali corpus apparet, causam eius attendere, & si cibi minus aliquis quàm debet, assumit, adiicere, sed paulatim, ne si corpus insuetum subita multitudine onerauerit, concoctionem impediat. Si vero plus iusto quis assumere solitus est, abstinere vno die, deinde ab exiguo cibo incipere, cotidie adiicere donec ad iustum modū perueniat. Præter hæc conuenit ambulare locis quàm minime frigidis sole vitato, per manus quoq; exerceri. Si infirmior est, gestari, vngi, perfricari si pōt maxime per se ipsum sæpius eodem die, & ante cibum, & post eum sic, vt interdum oleo quædam adiiciantur calefactione, donec insudet. Prodestq; ieiuno prehendere per multas partes cutem, & attrahere vt relaxetur, aut imposita resina, & abducta subinde idem facere. Vtile est etiam interdum balneum, sed post ci-

COR. CELSI

bum exiguum. Atque in ipso folio recte cibi aliquid
assumitur, aut si sine hoc frictio fuit, post eam pro-
tinus. Cibi vero esse debent ex his, qui facile con-
coquuntur, qui maxime alunt. Ergo vini quoque,
sed austeri necessarius vsus est. mouenda vrina. at si
malus corporis habitus est, primum abstinendum
est. deinde aluus ducenda. tum paulatim cibi dandi
adiectis exercitationibus, vnctionibus, frictionibus.
Vtilius his frequens balneum est, sed ieiunis etiam
vsq; ad sudoré. Cibis vero opus est copiosis, varijs,
boni succi, quiq; etiam minus facile corrumpun-
tur, vino austero. Si nihil reliqua proficiunt, san-
guis mittendus est, sed paulatim cotidieq; pluribus
diebus cum eo, vt cætera quoque eodem modo ser-
uentur. Quod si mali plus est, & vera phlogias est, in-
ter initia protinus occurrere necessarium est. neque
enim facile is morbus cum inueterauerit, euincitur.
Opus est si ~~vini~~ patiuntur longa nauigatione, coeli
mutatione, ~~si~~ ~~magis~~ ~~quàm~~ id est, ex quo discedit
ager, petatur. Iacq; aptissime Alexandriam ex Ita-
lia itur. Fereq; id posse inter principia corpus pa-
ti debet, cum hic morbus ætate firmissima maxime
oriatur, idest ab anno duodecimo, ad annum quintũ,
& trigessimũ. Si id imbecillitas non finit, naue ta-
men non longe gestari commodissimum est. Si nau-
igationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio mo-
do corpus dimouendum est. Tum a negocijs absti-
nendum est, omnibusq; rebus, quæ sollicitare ani-
mum possunt, somno indulgendum, cauendæ destilla-
tiones, ne si quid cura leuaret, exasperent, & ob id
vitanda cruditas, simulq; sol, & frigus. Os obtegen-
dum, fauces velandæ, tussicula suis remedijs finien-
da, & quoadiu quidem febricula incurfat, huic inter-
dum abstinencia, interdum etiam tempestiuus cibus
medendum. Eoque tempore bibenda aqua. Lac
quoque, quod in capitis doloribus, & in acutis fe-
bribus,

ic ut den-
iij

bribus, & per eas facta nimia sitis, siue præcordia tum-
ment, siue biliosa vrina est, siue sanguis fluxit, pro ve-
neno est. in phthisi tamen sicut in omnibus longis,
difficilibusq; febribus recte dari potest. Quòd si fe-
bris aut nondum incurSAT, aut iam remisit, decurren-
dum est ad modicas exercitationes, maximeq; ambu-
lationes, item lenes frictiones. Balneum alienum est.
Cibus esse debet primo acer, vt allium, porrum, idq;
ipsum ex aceto. vel ex eodem intubus, ocymum, lactu-
ca. Dein lenis vt sorbitio ex prîsana, vel ex alica, vel
ex amylo lacte adiecto. Idem oriza quoque, & si ni-
hil aliud est, far præstat. Tum inuicem modo his ci-
bis, modo illis vtendum est. Adijciendaq; quædam ex
media materia, præcipueq; uel ex aprugna, cerebel-
lû, vel pisciculus, & his similia. Farina etiam cum seuo
ouillo, caprinove mixta, deinde incocta pro medica-
mêto est. Vinum assumi debet lene, austerum. Hacten-
us non magna mole pugnatur. Si vehementior no-
xa est, ac neque febricula, neque ~~tussis~~ ^{tussis} quiescit, te-
nuariq; corpus apparet, validioribus auxiliis opus
est. Exulcerandus est ferro candenti vno loco sub
mento, altero in gutture, duobus ad mammam vtran-
que item sub imis ossibus scapularum, quas *ἡ μὲν πλά-
τα* Græci vocât, sic ne sanescere vlcera sinamus, nisi
tussi finita, cui per se quoque medendum esse manife-
stum est. Tunc ter, quaterq; die vehementer extreme
partes perfricandæ, thorax leui manu pertractandus,
post cibum intermittenda hora, & perfricanda cru-
ra, brachiaq; Interpositis denis diebus demittendus
est æger in solium, in quo sit aqua calida, & oleum cæ-
teris diebus bibenda aqua, tum & vinum, si tussis non
est potui frigidum dandum, si æstas est, egelidum.
Vtile est etiam cibos in remissionibus quotidie dari,
frictiones, gestationesque similiter adhiberi. ea-
dem acria quarto, aut quinto die sumere. interdum
herbam sanguinalem ex aceto, vel plantaginem esse.

COR. CELSI

Medicamentum etiam est vel plantaginis succus per se, vel marrubium ex melle concoctum, ita vt illius cyathus sorbillo sumatur, huius cochleare plenum paulatim delingatur. vel inter se mixta, & incocta resinae terebinthinæ pars dimidia, buthyri, & mellis pars altera. Præcipua tamen ex his omnibus sunt vitæ, vehiculum, & navis, & sorbitio. Alius cita utriusque vitanda est. Vomitus in hoc morbo si frequens est, perniciosus est, maximeq; sanguinis. Qui meliusculus esse cœpit, adiciere debet exercitationes, frictiones, cibos, deinde ipse se suppressio spiritu perfrire, diu abstinere à vino, balneo, venere.

De comitialis morbi curationibus.

CAP. XXIII.

INter notissimos morbos est etiam is, qui comitialis, vel maior nominatur. Homo subito concidit, ex ore spumæ mouentur, deinde interposito tempore ad se redit, & per se ipsum consurgit. Id genus sæpius viros quam feminas occupat. ac solet quidem etiam longum esse, vsque ad mortis diem, & vitæ non periculosum, Interdum tamen cum recens est hominem consumit, & sæpe eum si remedia non sustulerunt, in pueris veneris, in puellis menstruorum initium tollit. modo cum distentione membrorum, aut neruorum prolabitur aliquis, modo sine illa quidem. Hos quoque iisdem, quibus lethargicos excitare conantur, quod admodum superuacuum est, & quia ne lethargicus quidem iis sanatur, & quia cum possit ille nunquam expergisci, acque ita fame interire, hic ad se utique reuertitur. Vbi concidit aliquis, si nulla neruorum distentio accessit, utique sanguis mitti debet, si accessit, non utique mittendus est, nisi alia quoque hortantur. necessarium autem est ducere aluum, vel nigro veratro purgare,

vel ytrung; facere, si vires patiuntur tunc caput con-
dere, oleoq; & aceto perungere, cibum post diem ter-
tium simul cum transit hora, qua concidit, dare. Neq;
forbitiones aut his, aliq; molles, & faciles cibi, neq;
caro, minimeq; suilla conuenit, sed medix materix.
Nam & viribus opus est, & cruditates cauendz sunt,
cum quibus fugere oportet solem, balneum, ignem,
omniaq; calefacientia. item frigus, vinum, venerem,
loci precipitis conspectum, omniumq; terrentiu, vo-
mitum, lassitudinem, solitudines, negocia omnia.
Vbi tertio die cibus datus est, intermittere quartu,
& inuicem alterum quenq; eadem hora cibi seruata,
donec quatuordecim dies transeant, quosvbi morbus
excessit, acuti vim deposuit. at si manet, curandus ia
vt longus est. Quod si non quo die primum id inci-
dit, medicus accessit, sed is qui cadere consuevit, ei
traditus est, protinus eo genere victus dabitur, qui
supra comprehensus est, expectandus est dies, quo pro-
labatur, vtendumq; tum vel sanguinis missione, vel
ductione alui, vel nigro veratro, sicut praeceptum
est. In sequetibus deinde diebus per eos cibos, quos
proposui, vitatis omnibus, quz cauenda dixi, nutrie-
dus. Si per hac morbus finitus non fuerit, confu-
giendum erit ad album veratrum, ac ter quoque, aut
quater eo vtendu, non ita multis interpositis diebus,
sic tamen ne iterum vnquam sumat, nisi conciderit.
Medijs autem diebus vires eius erunt nutriendz, qui-
busdam prater ea, quz scripta sunt, adiectis. Vbi ma-
ne experrectus est, corpus eius leuiter ex oleo vete-
re, cum capite, excepto ventre, permulceatur. tu am-
bulatione quam maxime longa, & recta utatur, post
ambulationem loco tepido veliementer, & diu, ac no-
minus ducenties, nisi infirmus erit, perfricetur, dein-
de per caput multa aqua frigida perfundatur. pau-
lum cibi assumat, conquiescat, rursus ante noctem
ambulatione vtatur, iterum vehemeter per fricetur.

33
sic, vt neque venter, neque caput contingatur, post hæc cœnet, interpositisque tribus, aut quatuor diebus, vno aut altero acria assumat. Si ne per hæc quidem fuerit liberatus, caput radat, vngatur oleo veteri, adiecto aceto, & nitro, perfundatur aqua salsa, bibat ieiunus ex aqua castoreum, nulla aqua nisi decocta potionis causa vtatur. Quidam iugulati gladiatoris calido sanguine epoto, tali morbo sese liberarunt, apud quos miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit. Quod ad medicum vero pertinet, vltimum est iuxta talum ex vtroque crure paulum sanguinis mittere, occipitium incidere, & cucurbitulas admove re ferro candente, in occipitio quoque & infra, quæ summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, vt per ea perniciosus humor euadat. quibus si finitum malum non fuerit, propè est, ut perpetuum sit. Ad leuandum id tantummodo vtendum erit exercitatione, multa frictione, cibusq; his, qui supra comprehensi sunt, præcipueq; vitanda omnia, quæ ne fierent, excepimus.

De Regii morbi curatione. CAP. XXIIII.

A Equè notus est morbus, quem interdum Arquatum, interdum Regium nominant, quem Hippocrates ait, si post septimum diem febricitante ægro superuenit, tutum esse, mollibus tantummodo præcordiis substantibus. Diocles ex toto, si post febrem oritur etiam prodesse, si post hunc febris, occidere. Color autem eum morbum detegit maxime oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum. Soletque accedere & sitis, & dolor capitis, & frequens singultus, & præcordiorum dextera parte durities, & vbi corporis vehemens motus est, spiritus difficultas, membrorumq; resolutio, atq; vbi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore

quodam inalbescit. Primo die abstinere ægrum oportet, secundo ducere aluum, tum si febris est, eam victus genere discutere. si non est, scamoneam potui dare, vel cum aqua betam albam contritam, vel cum aqua mulsâ nuces amaras, absinthium, anesum, sic, ut pars huius minima sit. Asclepiades aquam quoque salisam, & quidem per biduum purgationis causa bibere cogebat iis, quæ urinam mouent, reiectis. Quidam superioribus omisissis, per hæc, & per eos cibos, qui extenuant, idem se consequi dicunt. Ego ubique si satis virium est, validiora, si parum, imbecillia auxilia præfero. Si purgatio fuit, post eam triduo, primo modice cibum oportet assumere ex media materia, & vinum bibere Græcum, salsum, ut resolutio ventris maneât, tum altero triduo validiores cibos, & carnis quoque aliquid esse intra aquam manere. deinde ad superius genus victus reuerti cum eo, ut magis satietur omisso Græco vino bibere integrum austerum, atque ita per hæc variare, ut interdum acres quoque cibos interponat, interdum ad salsum vinum redeat. per omne vero tempus vtendum est exercitatione, frictione, si hyems est, balneo, si æstas, frigidis natationibus, lecto etiam, & conclauis cultiore, clauso loco uti ludis, lasciuia, per quæ mens exhilaretur. ob quæ Regius morbus dictus videtur. Malagnia quoque quod digerat, super præcordia datum, prodest, vel ari da ibi ficus imposita, si iecur, aut lienis affectus est.

De elephantia curatione. CAP. XXV.

Ignotus autem penè in italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem *ἐλεφαντία* Græci vocant. isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque vitia ri dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet, Rubor harum paulatim in-

C O R. C E L S I

atrum colorem conuertitur. Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisq; quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt. Vbi vetus morbus est, digiti in manibus, pedibusq; sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit. protinus ergo inter initia sanguis per biduum mitti debet, aut nigro veratro venter solui, adhibendum quanta sustineri potest, inedia est. paulum deinde vires reficiendæ, & ducenda aluus. post hæc, vbi corpus leuatum est, vt edum est exercitatione, præcipueq; cursu. sudor primum labore ipsius corporis, deinde etiam siccis sudationibus euocandus. frictio adhibenda, moderandumq; inter hæc, vt vires conferuentur, balneum rarum esse debet. Cibus sine pinguibus, sine glutinosis, sine instantibus. Vinum, præterquam primis diebus, recte datur. Corpus contrita plantago, & illita tueri optime videtur.

De attonitis, & eorum curatione. CAP. XXVI.

Attonitos quoq; raro videmus, quorū & corpus, & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, ἀποπληξίαν hunc Græci appellant. His sanguis mittendus est. veratro quoq; albo, vel alui ductione vtendum. Tum adhibendæ frictiones, & ex media materia minime pingues cibi. quidam etiam acres, & a vino abstinendum.

De resolutione nervorum, quæ apoplezia, vel paralysis dicitur. CAP. XXVII.

At resolutio nervorum frequens ubiq; morbus est. Sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres authores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominauerunt. Nunc vtrunq; paraly-

fin appellari video. Solent autem qui per omnia mēbra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi. ac si correcti non sunt, diutius quidem viuunt, sed raro tamen ad sanitatem perueniunt, & plerunq; miserum spiritū trahunt, memoria quoq; amissa. In partibus vero nunquam acutus, sæpe longus, ferè sanabilis morbus est. Si omnia mēbra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix vnquam sanitatem reitituit, sæpe mortem tantum differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit & motus, & mens, nihil spei superest. Si redit, sanitas quoque prospicitur. At vbi pars resoluta est, prouidet malo corporis, vel sanguis missus, vel alius ducta. Cætera eadem in vtroq; casu facienda sunt. Si quidem vitare præcipue conuenit frigus, paulatimq; ad exercitationes reuertendum est sic, vt ingrediatur ipse protinus, si potest. Si id crurū imbecillitas prohibet, vel gestetur, vel motu lecti cōcutiatur, tum id membrum, quod deficiet, si potest per se, si minus, per alium moueatur, & ui quadam ad consuetudinem suam redeat. Prodest etiam torpentibus membris summam cutem exasperasse, vel vrticis cæsam, vel imposito sinapi sic, vt vbi rubere cepit corpus, hæc remoueantur. Scylla quoq; contrita, bulbiq; contriti cum thure recte imponuntur. Neq; alium est refina cutē tertio quoq; die diutius vellere, pluribus etiā locis aliquando sine ferro cucurbitulas admoovere. Vnctioni vero aptissimum est vetus oleū, vel nitrum aceto, & oleo mixtum. Quin etiam fouere aqua calida marina, vel si ea non est, tamen salsa, magnopere necessarium est. At si quo loco vel naturales, vel etiam manu factæ tales natationes sunt, ijs potissimum vtendum est, præcipueq; in his agitando membra, quæ maxime deficiunt. Si id non est, balneum tamen prodest. Cibus esse debet ex media materia, maximeq; ex venatione. potio sine vino aquæ

COR. CELSI

calide. Si tamen vetus morbus est, interponi quarto, vel quinto die purgationis, causa vinum Græcum salsum prodest. Post cœnam vtilis vomitus est. Interdum vero etiam nervorum dolor oriri solet. In hoc casu non oportet vomere, non medicamentis vrinam mouere, non sine exercitatione sudores, vt quidam præcipiunt, expedit. Bibēda aqua est bis die. in lectulo leniter satis diu corpus perfricandū est. deinde retento spiritu ab ipsa exercitatione potius superiores partes mouendæ. balneo raro vtendum, mutandum subinde peregrinationibus cœlum. Si dolor est, ea ipsa pars sine oleo nitro ex aqua perungenda est, deinde inuoluenda, & subiicienda pruna lenis, & sulphur. atq; ita id suffumigandum, idq; aliquandiu faciendū. Sed ieiuno cum bene iam concoxerit, cucurbitulæ quoq; sæpe dolēti parti admoüendæ sunt, pulsandusq; leuiter inflatis vesicis bubulis is locus est. Vtile est et seuum miscere cum ὄσχυρον, & vtricę cōtritris seminibus sic, vt omnium par modus sit. idq; imponere, fouere aqua, in qua sulphur decoctum sit. Vtriculi quoq; recte imponuntur aqua calida repleti, aut bitumen cum ordeacea farina mixtum, atque in ipso potissimum dolore vtendum gestatione vehementi est quod in aliis doloribus pessimum est. Tremore autē nervorum æque vomitu, medicamentisq; vrinam mouentibus impeditur. Inimica etiam habet balnea, asfasq; sudationes. bibēda aqua est. acri ambulatione vtendū. item vnctionibus, frictionibusq; maxime per seipsum. pila, similibusq; superiores partes dimouendæ cibo quolibet vtendum, dummodo concoctioni vtiq; studeatur. Secundum cibum curis abstinendū. rarissima venere vtendum est. si quando quis in eam prolapsus est, tum oleo leuiter, diuq; in lectulo perfricari manibus puerilibus, potius quàm virilibus debet. Suppurationes autem quæ in aliqua interiori parte oriuntur, vbi notæ fuerint primum id agere

oportet per ea cataplasmata, quæ reprimunt, ne coitus inutilis materiæ fiat. deinde si hæc victa sunt, per ea malagmata quæ digerunt, dissipetur. Quod si consecuti non somus, sequitur, vt euocetur, deinde vt mature scat, omnis tunc vomicæ finis est, vt rumpatur. Inditiumque est pus vel aluo, vel ore redditum. sed nihil facere oportet quo minus quicquid est puris, excedat. Utendum maxime sorbitionibus est, & aqua calida. Vbi pus fieri desiit, transeundum ad faciles quidem, sed tamen validiores, & frigidos cibos, frigidamque aquam sic, vt ab egelidis tamen initium fiat. primoque cum melle quedam edenda, vt nuclei pinei, vel græcæ nuces, vel auellanæ. Postea submouendum id ipsum, quo maturius induci cicatrix possit. Medicamentum eo tempore vlceri est, succus assumptus vel porri, vel marubij, & omni cibo porrum ipsum adiectum. Oportebit autem vti in his partibus, quæ non afficiuntur, frictionibus, item ambulationibus lenibus. Vitandumque erit, ne vel luctando, vel currendo, vel alia ratione sanescientia vlcera exasperentur. In hoc enim morbo pernitiosus, ideoque omnimodo cauendus sanguinis vomitus est.